



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

28. Dies Novemb. Modò tu Deus in Cœlo, licet in æternum ego in inferno.  
Gerardus inter ejus dicta.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

950      *Christiani Militis*      Novemb

Sapientia, unde principium capit omnis suavitas : & quod est bonum super omne bonum, pulchrum super omnia pulchra, justum super omnia justa, poterit super omnem potentiam, sapiens super omnem virtutem, dulce super omnem saporem. Esse tamponum, ut mori elegerit, quo viveret vilissima creatura : humiliari, ne vermiculus aliquis se extolleret, homo fieri, propter inimicum sibi & Divinitatis suæ fidantem hominem, ut se denique dederit in cibis & sustentationem vitæ illius, qui mille mortes merebatur. Hi tot & tanti tituli, me ad amorem tantiboni, non suaviter inducunt, sed fortiter impellunt. Dic ergò cum Poëta :

*Est super omne Deus, Rex, Dominusque meus.*

## 28. DIES NOVEMB.

Modò tu Deus meus in Cœlo, licet in æternum ego in inferno. *Gerardus inter ejus dicta.*

Dei Maje- I.  
stas, pec-  
cati enor-  
mitas.

**P**Ergamus velificari affectibus etiaga auctorem omnium effectorum. Gratulor quantum possum rebus omnibus conditis, quod tam admirandum habeant, à quo processerunt, conditorem. Plaudant Cœli, quia suum comprehendere nequeunt creatorem : servent planetæ curum suum, stellæ majora accendant luminaria, ut luceat huic luci incessabili, quæ formavit eas : exultent elementa, quia qui creavit illa, centrum est. & perfeccio universi : mixta otanía, plantæ, animalia, homines, Angeli, diem festum agant, quia tam magnum consecuti sunt Regem, tam potentem Principem, tam bonum Patrem : lætentur cœli, & terra

Novemb.

Tessera.

951

de gloria talis Domini, & de magnificentia tanti Monarchæ. Oigitur inter miseros miserrimum, qui tanto Domino se submitteat refragatur, & in inquisitione commodorum, in distractione negotiorum, in diversitate rumorum, in inquietudine bellorum volvitur, & revolvitur perpetuò illius oblitus, qui charitate perpetua eum dilexit: cui nulla est satietas in omni voluptate, voluptas nulla in ulla stabilitate, quies nulla in perpetua ambitione, pax nulla in assidua armulatione, morsus perpetuus in conscientiæ inquietudine.

II. Unde deberent homines omnes percelli, timore ingenti, contremiscere omnibus membris, trepidare omnibus artubus, expallescere toto vultu, exhorrescere toto animo, si audirent unum unicum ex toto humano genere reperiri, vel olim fuisse reputum, qui vel semel lethali noxa Deum offendisset. Hac certè evenirent si homines immensam Dei perciperent Bonitatem, intelligerent Majestatem. Jam verò cum peccatum sit malum, malorum omnium maximum, summa miseria, extrema infelicitas; dedecus turpissimum, tamen eodem die, & hora quâ in tantam inciderunt calamitatem, plaudunt manibus, saltant pedibus, modulantur vocibus, & fruuntur cunctis voluptatibus. Itanè verò, tam cæcus, ut non videas? tam demens, ut non capias tantum malum, quod nocet tibi amplius, quam aut affligendo Diabolus, aut puniendo Deus poterit? Quod, dum pœnis vindicatur aeternis, nondum dignis vindicatur? Quod punctulo deleatur unico, pœnas luit nunquam finiendas. Quæso te, quisquis peccator es, & fidelis; cre-

Ooo 4

disnè

define hoc, & audes? & non times? non doles? non  
tremis? non sapis? Audi tandem monentem fidem,  
spem animantem, timorem minitatem, pudorem  
increpantem, amorem allicientem. Tantum tibi  
tantila rei pessimæ voluptas, ut eam pœnis compa-  
res æternis? tantilli tibi est Dei inimicum esse? cui  
inimicitia, est felicitatis jacturâ, damnationis  
tentia? quem nec fallere potes quia Sapientia,  
nec evadere, quia immensitas est, nec vincere, qui  
omnipotentia est.

III. Hoc jam tanto malo, ut libereris, nullo opus  
labore, nulla molestia, sumptu nullo: non est nece-  
ssaria itinera suscipere, maria trahere, alpes concidere:  
excusare ista posses omnia. Agnosce tantummodi  
quod nosti verissimum: detestare, quod scis pelli-  
mum: prode, quod credis fore secretissimum, vel  
bisoli, qui antè vitam fundat, quam illud vel signo  
vulget; & ecce tantum malum evasisti. Quod si dif-  
ficile tibi accidit, pessimè infelicitate tua statuis  
iniquissimè de summo discrimine judicas. Quol-  
que tandem differre statuis, qui nec de puncto ad  
pœnitentiam tibi indulgendo certus es? dum ho-  
minem sinnenias? cuius auribus fidas, cuius censu-  
ram non metuas, à qua redargui non horreas? dum  
non libuerit amplius, totamque peccandi libidinem  
expleveris? dum peccare amplius mortis vetet nec-  
ditas? ah te! periculosa nimis mora est, dubia nimis  
hora est? ah! malum tempore fit maius, mora peri-  
culosius, curatu difficultius: & aperire medicore-  
nus? vulnus est, & lethale quidem, & differt media-  
nam? pondus est in abyssum usque deprimens, nec  
vis deponere? Si peccati enormitatem sic animo

Novemb.

Tessera.

953

comprehenderes, & Dei Majestatem : ut Gerardus ille, cum eo & tu diceres : *Verè graviora quām infernus habet tormenta, qui tot considerans in bonum, è infinitum, peccata & scelera, zelo pro Domino comeduntur.* Ac deinde magno erga Dei felicitatem affectu exclamabat : *Modò tu Deus meus in cœlo, tunc ego in eternum in inferno.*

## 29. DIES NOVEMB.

Diligenti Deum sufficit illi placere quem diligit.

S. Leo serm. 7. de Jejun. sex mens.

Placere I.  
Deo, deber  
esse omnis  
noster la-  
bor.

**N**on tibi dispiceat hodie ex-pendere quomodo Deo placeas, ut placendo, illum olim possideas. Primum Deo placet, qui fugit quæ ei displicent, & facit quæ ei placent. Hinc fugit talis omnia mala, & satagit facere omnia bona. Unde Augustinus : (a) *Quod ei placet, dabit nobis : si quod ei displicet in nobis, despiceat & nobis.* Ita ardebat S. Theresia placere Deo, ut rarum illud, & inauditum ab hominum memoria ediderit votum faciendi semper illud, quod nosset magis placere Deo. Ut porrà cognoscas quæ sint quæ Deo magis placeant, accipe hujus rei methodū à S. Thomas Aquinate. Hic magis studiosus Theologiæ Mysticæ, quam Scholasticæ, flexis humi poplitibus, hanc orationem, quam & ipse concinnavit, recitabat, videlicet : *Concede omnipotens Deus, quæ tibi placuerunt. Primo, ardenter concupiscere. Secundo, prudenter investigare. Tertio, veraciter agnoscere. Quartio, perfectè adimplere. Primo, nulli placere ap-*

Ooo 5

petam,

(a) *Donat. & grat. c. 33.*